

intelligitur Ecclesia, cappellæ, claustra, & omnia alia loca consecrata, aut benedicta, & ad sepulturam fidelium ex designatione Episcopi deputata. Unde sepultura ecclesiastica locus est religiosus, ob idque gaudet immunitate Ecclesiæ.

82. Inq. 2. An sit simonia vendere sepulturas, vel jus, ut tali loco, aut parte Ecclesiæ nullus præter illum, qui emit, aut ejus successores, sepeliatur? R. Quod si talis locus benedictus, aut consecratus, & sic ad sepulturam destinatus ratione benedictionis venderetur, aut pluris venderetur, esset jure divino, & naturali simonia: quia res spiritualis venalis redderetur. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. At si sepultura tali modo benedicta non ratione benedictionis, sed ratione terræ, aut soli, in quo sita est, venderetur, sicut emit Abraham ab Ephron terram nudam ad sepulturam. Genes. 23. licet non esset simonia de jure divino, aut naturali, sicuti calicem vendere ratione materiæ, ex qua factus est, tamen est de jure ecclesiastico, & sic malum, quia prohibitum: cap. Abolenda, de sepultur. cap. non satis, cap. Ad vivimus de simonia.

83. Sed pro tali loco sepulturæ possunt stipendia accipi, non ut pretium illius, sed ut elemosyna ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sicut pro Missis recipitur, vel ad conservationem fabricæ, & cultus divini: quia æquum est, quod defuncti, qui in templo inhabitant, ad ejus reparationem, & ornatum concurrant: vel quia expensæ in ea factæ exiguntur, præscindendo a spiritualitate. Etiam pro loco honoratioris sepulturæ plus accipi potest, ut pro capella majori, meliori loco, commodiori, & digniori: quia solum venditur honor, ut pendet ex hominum æstimatione, qui per accidens rei spirituali conjungitur. Etiam potest recipi pretium pro perpetuo jure sepulchri, id est pro ea obligatione, ut nullus præter eum, vel ejus successores in tali loco admittantur: quia tale jus proprietatis quid temporale est, & per accidens conjunctum spirituali. Idem, quod dictum est de sepulturis, cum proportionem dicendum est de cappellis, quæ solent sæcularibus dari pro usu sepulturæ.

## CAPUT III.

## De actionibus, pactis, aut conventionibus simoniæ.

Dictum est de simonia secundum materiam, quæ illam constituit, nimirum tam ex parte pretii temporalis, quam ex parte rei spiritualis simili pretio comparatæ, quæ sunt quasi partes, ex quibus contractus simoniæ coalescit; nunc agendum est de illis actionibus, quæ circa has materias exercitæ talem contractum constituunt: earum quippe notitia pro quotidiana praxi est multum necessaria.

## PUNCTUM I.

## De redemptione vexationis per pecuniam.

84. Inq. 1. An post adquisitum jus in re, vel ad rem spiritualem, vexationem circa illud pecunia tollere sit peccatum? Pro resolutione nota, quod *ius acquisitum* est debitum ex justitia commutativa, quod alio nomine dicitur *ius in re*: & hoc accedit, quando res habetur de facto, & est appropriata habenti jus, licet interdum non possideatur: ut qui electus est ad beneficium, & habet jus ad collationem a Superiori legitimo, licet possessionem non habeat. *Jus acquirendum* est aliquando jus, debitum quidem, sed ex justitia distributiva, aut ex vi alterius virtutis, & hoc dicitur *ius ad rem*: & potest esse, vel remotum, ut est illud, quod oppositor dignus, aut magis dignus habet ad beneficium: Vel proximum, quod habet electus, aut presentatus, nondum tamen confirmatus, aut institutus.

85. R. Ex D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. Postquam *ius alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta remove.* Quod habetur in cap. Dilectus 1. de simonia, cap. Quasitum 1. q. 3. Et ratio est, quia sic redimens vexationem pecuniam non tradit, neque tradere potest pro re spirituali, quam jam habet, sed pro injuria, quam injuste patitur, repellenda. Imò nec talis aliquod peccatum committit, quia alterius injuste actioni cooperetur, sed rem bonam facit utendo jure suo, ut alius ab injusta illa vexatione

## Cap. III. De actionibus, pactis, aut conventionibus simoniæ. 261

desistat, & suum jus jam quasitum conservet indemne. Sicut de dante, & usurario injuste recipiente dictum est, & sic in utroque casu propter injuriam recipientis datur ipsi danti repetitio, ut docet glossa cap. Dilectus 1. de simon.

86. Sed advertendum, quod redemptio vexationis licita est, quando jus quasitum est plenum, certum, & indubitatum, saltem apud peritos, & quando vexatio est injusta; si enim jus dubium sit, & circa illud quis vexetur, non licet vexationem pretio redimere, nec etiam quando jus est certum, sed juste ab alio vexatur. Unde quoties dubium sit de valore electionis, præsentationis, aut institutionis, & lis intentatur, non potest licite, & absque simonia redimi pretio hujusmodi vexatio: tum quia jus non est certum, tum quia vexatio injusta non est. Similiter ut hujusmodi vexationis redemptio licita sit, requiritur, quod auferatur per aliquid temporale: quia illam tollere per dationem alicujus spiritualis simoniæ est; eo quod daretur aliquid spirituale pro temporali immediate, & per se, nempe pro redemptione vexationis.

87. Inq. 2. An sit simonia pecunia redimere vexationem injustam circa possessionem beneficii? R. neg. Si vexatio sit circa factum; e contra vero si sit circa jus. Quando jus certum, & inconcussum est, nihilque spirituale acquirendum superest, tunc possessio in solo facto consistit: hoc autem est omnino temporale, pro quo pretium datur. Si vero jus ad possessionem in dubium verteretur, tunc simoniæ esset pretio vexationem redimere: quia jam non per se sola redimeretur possessio, sed ut annexa juri, & sic per se ipsum jus redimeretur, quod erat infirmum, ut firmum fieret, & stabile. Nota, quod possessio beneficii non est aliquid spirituale, sed declaratio quædam forensis, qua publicatur huic hominem habere beneficium, supposito titulo collationis, & jure ad percipiendos fructus ratione illius.

88. Inq. 3. An redimere vexationem ante jus acquisitum in re spirituali sit simonia? R. affirm. Sic D. Thom. ubi supra his verbis: *Dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacunque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem,*

simoniæ esset adversantium obstacula pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.

89. Hæc resolutio D. Thom. intelligenda est, quando vexatio intentatur ab eo, qui obesse, & prodesse valet eligendo, vel confirmando: tunc pecunia redimere talem vexationem simonia manifesta est: quia tunc pecunia aperitur via ad beneficium obtinendum. E contrario, quando vexatio provenit ab illis, qui obesse, sed nullo modo prodesse queunt, tunc nulla est simonia per pecuniam removeve injusta obstacula calumniarum, seu accusationum: quia isti privati nullam partem in conferendo beneficio habent, ergo pecunia ista non parat viam ad beneficia, sed dumtaxat removet exteriora obstacula injusta. Nota tamen, quod si adultus in extremo vitæ nequeat baptizari, nisi ab eo, qui sine pecunia non vult baptizari, potius debet mori sine baptismo, quam dare pecuniam: quia potest salvari baptismo flammis. At qui haberet curam infantis in eodem extremo constituti, & nequiret aliter baptizari, nisi dando pecuniam pro baptismo, posset licite aquam emere, vel pecuniam dare ad redimendam injustam vexationem, & obstaculum avaritiæ tollendum, cum aliter infans nequeat salvari. Vide D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 1.

90. Inq. 4. An sit simonia tradere electoribus pecuniam, ut desistant ab electione indigni, vel ut omisso digno eligant digniorem? R. 1. Licitum est dare pecuniam electoribus, ut desistant ab indigni electione, imò etiam ab electione digni, si sint alii digniores: & ratio est, quia Ecclesia jus habet acquisitum, ut non eligatur indignus ad beneficium, imò nec dignus in conspectu dignioris; aliter vexationem injustam patitur circa sumum acquisitionem jus, ergo licitum erit eam pecunia redimere. Maxime quia in hoc casu obligatio pecuniæ nihil aliud est, quam electores avocare a peccato illo gravissimo, quod parati sunt committere, quodque muneribus removeve minime est illicitum.

91. R. 2. Non esse simoniam dare pecuniam, ut positive eligatur dignus, vel dignior in communi, non determinanda aliquam personam: & ratio est, quia hoc idem est, ac si daretur pecunia, ut non eligatur

eligatur indignus, cum inter dignum, & indignum non detur medium; sed istud est licitum, & absque simonia, ergo & illud. Si vero offeratur pecunia pro electione Petri v. g. qui solus est dignus, vel dignior, tunc proculdubio simonia committeretur: quia esset parare viam per pecuniam ad beneficium, ad quod non habebat jus acquisitum. Dicta in his duobus numeris vix praticari possunt absque scandalo, & simonia. Ordinarie etiam illicitum est ad talem electionem modo dicto cooperari: quia tunc electores pecuniam accipientes, simoniam committunt, & sic collatio, vel electio beneficii erit nulla, utpote simoniace facta, excepta electione Pontificis, quæ licet injuste fiat, simoniace quidem fit, factum tamen tenet ad schismatum occasiones amovendas, & Ecclesie pacem fovendam.

## PUNCTUM II.

## De permutatione rerum spiritualium.

92. Inq. 1. An sit simonia permutare res spirituales pro aliis spiritualibus? R. neg. Exceptis beneficiis, quia per talem permutationem non fit injuria rei spirituali, cum pro suo simili, vel æquivalenti permutetur: & alias nullo jure est prohibitum. Quare licitum est te hac hebdomada celebrare quatuor Missas, ut totidem alio tempore pro te Petrus celebret; tot preces fundere eo pacto, ut alter preces alias recitet, te hanc reliquam tradere ea conventionem, ut alia tibi tradatur. Oportet vero in his permutationibus proportionem servare, ut pure spiritualia cum pure spiritualibus commutentur; si habent temporale aliquod annexum, in utroque sit ejusdem ordinis, nimirum, vel antecedenter in utroque, vel in utroque consequenter, & non misceatur compensatio temporalis pro spirituali, vel e contra.

93. Inq. 2. An beneficia permutari valeant, absque simonia? R. Quod in beneficiis ecclesiasticis, & in his, quæ ad ea spectant, quæcumque commutatio absque autoritate Superioris facta, quamvis de jure naturali, & divino non sit simonia, est tamen simonia jure ecclesiastico: quia omnis pactio in beneficiis simoniaca est. Ut constat ex cap. *Quæsitum. cap.*

*Cum olim, de rer. permut. & aliis.* Hæ prohibitiones factæ sunt ad evitandam simoniæ speciem: quia licet tituli beneficiorum sint spirituales, annexi illis sunt redditus temporales, qui avaritiam, & cupiditatem hominum magnopere accendunt. Nomine beneficiorum intelliguntur omnia spiritualia, quæ habent temporalia annexa consequenter, etiam si proprie, & in rigore beneficia non sint, ut vicaria amovibilibus, cappellania non collativa. Et idem est de omnibus actionibus pertinentibus ad provisiones beneficiorum, quæ ex potestate, vel jure aliquo spirituali procedant, ut de institutione, presentatione, electione, aut consumatione.

94. Inq. 3. Quis debeat esse superior, cujus autoritate licite fieri valent hæ beneficiorum permutationes? R. Illius Prælati autoritatem requiri, cujus est beneficia illa conferre: & ideo in *extravag. Dudum* Benedicti II. definitum est, non posse Episcopum id facere in beneficiis ad Pontificem pertinentibus. Regulariter autem sufficit autoritas Episcopi ad tales commutationes faciendas pro sua Diocesi. *Cap. Quæsitum.* Et nomine Episcopi intelliguntur Abbates, eamdem Episcopalem jurisdictionem exercentes: quia sicut hi possunt dare similia beneficia, sic ad eorum transmutationem autoritatem conferre. Idem potest facere capitulum sede vacante: quia tunc jurisdictione quasi Episcopali fungitur. Si autem beneficia sint in diversis Diocesis, utriusque Episcopi consensus requiritur, & etiam patronorum; quia jura non excludunt eorum consensum: nec est præsumendum eorum juribus voluisse derogare, nisi exprimaunt. Ut hæ permutationes licite fiant, uterque beneficiatus habere debet jus certum, in concussum, acquisitum in re, seu in beneficiis permutandis; alias permutatio simoniaca, & nulla existeret. Permutatores beneficiorum possunt simul honestas conditiones inire mutuo, & eas proponere legitimo Superiori.

95. Inq. 4. An quando permutatio sine culpa permutantis non tenuit, vel quia alter non habebat jus ad beneficium, vel ante permutationem mortuus est, possit alter propria autoritate redire ad suum beneficium, quod causa permutationis resignaverat? R. neg. Sed indigere nova collatio-

ne

ne Superioris, alias esset intrusus: quia renuciatus ex causa permutationis, perdit titulum, & possessionem, & per talem resignationem vacavit beneficium. Nisi resignatio fiat in manibus Pontificis.

96. Inq. 5. An autoritate Episcopi possit beneficium Ecclesiasticum pensione permutari? R. 1. Quod, si pensio sit mere temporalis, nequit, etiam autoritate Pontificis, sine simonia contra jus divinum pro beneficio permutari: quia in hoc casu beneficium ecclesiasticum, quod est omnino spirituale; permutaretur cum re temporalis, quod juri divino adversatur. R. 2. Quando pensio spiritualis est potest fieri, permutatio autoritate Pontificis, non Episcopi: quia solus Pontifex potest pensionem super beneficiis imponere, & autoritate sua commutationem pensionis pro pensione firmare ergo solius autoritatis pontificæ est approbare permutationem beneficii pro pensione spirituali. R. 3. Si pensio fuerit in titulum beneficii erecta, ut præstimoniam, beneficia simplicia tunc autoritate Episcopi potest fieri talis permutatio, quia eadem ratio est, ac de beneficiis.

97. Inq. 6. An quando beneficia sunt inæqualia, possint commutari adjecta pecunia, vel alterius rei temporalis compensatione? R. Quod, si beneficia sint inæqualia in gradu, dignitate, & jurisdictione, sive in fructibus, nullo modo, nullave autoritate valet pecunia compensari talis excessus, absque simonia juris divini, quia tunc venderetur titulus beneficii, qui est spiritualis pro re temporalis, quod jure divino adversatur.

98. Inq. 7. Quot requirantur conditiones pro licita beneficiorum commutatione? R. Quinque conditiones esse necessarias, ut ejusmodi permutationes beneficiorum licite, & sine simonia fiant. 1. Ut commutatio fiat autoritate Superioris, nimirum Episcopi in commutandis beneficiis, & Pontificis in commutandis pensionibus. 2. Quod beneficium commutandum sit pleno jure quæsitum cum jure in re. 3. Ut nulla pactio privatim inter partes fiat, nisi in ordine ad consensum Superioris. 4. Ut nulla pensio, onusve imponatur, aut exactio fiat aut compensatio excessus fructuum pro aliquo pretio æstimabili sine autoritate Pontificis. 5. Quod fiat ex juxta causam

utili, vel necessaria Ecclesie,

## PUNCTUM III.

## De transactione super beneficio.

99. Inq. 1. An transactio seu pactio onerosa, ad componendam litem in beneficiis habeat rationem simoniæ? Pro resolutione notandum est. 1. Quod, cum transactio sit species quædam transmutationis, ad eam reducitur, nde sicut permutatio beneficiorum fieri non valet autoritate partium absque periculo simoniæ, sic nec transactio.

100. Supponendum est. 2. Quod transactio est *Pactio non gratuita de re dubia, & licite incerta ad litem dirimendam.* Dicitur *pactio non gratuita*: ut distincta a compositione amicabili, & donatione, quæ fieri valent absque pensione, & divisione, omninoque gratis. Et hæc compositio amicabilis licita est autoritate, etiam propria, facta, absque ulla divisione juris, vel rei, super quam est litigium, & absque ulla compensatione: quia in tali casu liberaliter una pars cedit juri suo: vel uterque arbitrio prudentum committit, quod laudabile est.

101. Resp. 1. Transactionem esse simoniacam, dum remittitur, vel retinetur jus spirituale pro temporali emolumento: & ratio est, quia talis transactio est quodam genus permutationis ad terminandam litem; sed rem temporalem pro spirituali commutare, vel e contra, est manifesta simonia, ergo.

102. R. 2. In materia beneficiorum transactio, propria autoritate facta, simoniaca est ex jure positivo, etiam si in ea spirituale pro spirituali transigatur: nam jus canonicum intuitu religionis ob periculum simoniæ hujusmodi transactiones privata autoritate fieri vetuit *cap. Constitutus, de relig. domib. cap. Super eo, de transact.* Potest tamen talis transactio licite fieri autoritate Episcopi: constat ex *cap. Statuimus, de transact.* Tum, quia talis transactio, ut plurimum, æquivalet permutationi, quæ fieri potest autoritate Episcopi ex justa causa: unde cum causa transactionis sit bonum pacis, quod satis promoveatur per cessationem litis, quodque valde honestum, & necessarium, reipubli-

cæ

cæ est, hinc est sufficere, ut talis transactio licite, & valide auctoritate Episcopi fiat.

103. Inq. 2. An possit Episcopus licite componere taliter inter partes transigendo, quod altera, quæ cedit beneficio, aut rei super quam litigatur, onus aliquod, vel pensionem temporalem ab alio recipiat? R. neg. Et ratio est: quia in hoc casu permutaretur res spiritualis pro temporali, atque adeo simonia esset jure naturali, & divino prohibita. Constat etiam ex Alexandro III. cap. super eo, extr. de transact. ubi hæc decernit: *Super eo, quod quæsiuisti, utrum ab ecclesiastico beneficio in litigio deducto, possit fieri transactio, tale datus responsum: quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest. Etenim res sacra, ut possideantur, aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ. Idem constat in cap. Constitut.*

104. Inq. 3. An litigantes possint Judicem arbitrum de communi consensu eligere, etiam si ille arbiter non sit Prælati, nec Judex causæ, sed alius tertius, & illius iudicio stare? R. ob bonum pacis, & litis terminationem, quod magni semper ab Ecclesia æstimatur, posse id licite fieri dummodo arbiter sit clericus, quia cum agatur de causa ecclesiastica, æquum est ab ecclesiasticis componi, & hujusmodi arbiter secundum suam prudens iudicium potest adjudicare absolute beneficium ei, quem probabilis jus habere iudicaverit libere, & absque ullo onere imposito: vel imponendo onus temporale, nimirum pensionem aliquam temporalem beneficiario, non beneficio; (non vero spiritualem, aut perpetuam, quia hoc pertinet ad Prælatos) vel aliquam summam solvendam ei, qui cedit ob bonum pacis, ob expensas factas, vel ad illius sustentationem. Constat hoc ex cap. *Non sine multa, de arbitris.*

105. Verum licet hæc doctrina communior sit; tamen in praxi consulendum est, ut litigantes eurent auctoritate Superioris licet dirimere, quia omnis pactio in beneficiis sine Superioris auctoritate simoniaca est; vel saltem simoniæ speciem reddet. Quamvis enim sedes apostolica pensionem ab arbitro impositam pro pace, & quiete ecclesiæ tolleret; non vero absolute

approbat; sed potius suspectam censet. *Cap. Nisi essent. Extr. de præbendis.*

106. Extra materiam vero beneficiorum, si fiat transactio circa rem spiritualem per largitionem alterius rei spiritualis proportionate, non est simonia, etiam si propria auctoritate fiat, ut diximus de permutatione harum rerum. Unde si lis moveatur de reliquiis, cujus sint, poterunt litigantes pacisci, ut dividantur, si fieri potest, aut pro reliquia, de qua contenditur, altera detur. Similiter si litigium sit de jure presentandi, possunt transigere, ut alternatim presentent. Si circa jus decimarum, ut quælibet pars partem fructum recipiat, & sic de aliis: quia est datio spiritualis pro spirituali, annexi pro annexo cum proportione in commutationibus requisita.

## PUNCTUM IV.

## De renuntiatione beneficiorum.

107. Inq. 1. Qualiter renuntiare absque simonia beneficium possit? R. Renuntiatio est *voluntaria abdicatio, qua quis beneficium, quod pacifice possidet, in Prælati sui manibus dimittit.* Unde nisi in manibus Prælati fiat, nulla, & invalida est renuntiatio; si vero beneficium non sit pacifice acquisitum, sed litigiosum, non requiritur auctoritas Prælati, ut renuntietur valide, sed quilibet juri suo, quod sub lite habet, libere renuntiare potest. Quatuor modis renuntiatio fieri valet in manibus Prælati. 1. Absolute, & sine ulla conditione. 2. In favorem talis personæ. 3. In favorem talis personæ & cum reservatione pensionis. 4. Absque designatione personæ, & cum reservatione pensionis.

108. Quibus sic suppositis, dicimus, quod renuntiatio primo modo licite fieri potest in manus Episcopi, vel Pontificis, sit fuerit Episcopatus, etiam si nondum sit consecratus quia neque de se est malum, nec ullo jure prohibitum, & sic praxi laudabili habetur. Resignatio vero tribus modis sequentibus fieri nequit absque facultate summi Pontificis, qui in bonum, & commodum Ecclesiæ dispensare valet, cum nulli juri divino adversetur, quamquam probare, vel refutare potest. Quod non possit fieri renuntiatio 2. modo, scilicet

in

in favorem talis personæ nisi auctoritate Pontificis, constat ex consuetudine, & stylo Curie damnantis has renuntiationes ut veritas jure positivo. Quod in 3. & 4. modo sint illicitæ, & invalidæ ejusmodi renuntiationes, nisi auctoritate Papæ constat ex Constitut. S. Pii V. *Intollerabilis*, in qua ademit Episcopi, & Prælati inferioribus potestatem imponendi ejusmodi pensiones: quæ facultas est summo Pontifici reservata.

109. Inquires 2. An resignatio facta in manu Episcopi in favorem tertii contineat simoniam? R. 1. Quod intercedente pacto inter Episcopum, & resignantem de admissione resignationis, & provisione beneficii in personam designatam, proculdubio erit simonia: quia ejusmodi pacta prohibentur a jure ob motivum religionis. R. 2. Si nullum pactum intercedat, non est simonia: quia nullus ibi reperitur contractus onerosus, nec onus imponitur Episcopo, cum possit illam renuntiationem abicere, vel acceptare. Erit tamen illud peccatum ex parte resignantis, & genus quoddam injustitiæ in materia religionis, quatenus, ac si esset verus dominus beneficiorum vult usurpare potestatem sibi per jura prohibitam: & etiam quoddam sacrilegium, quatenus irreverenter tractat res sacras volens eas distribuere contra jura. Et ob id poterit Episcopus eum tali beneficio privare, & alteri conferre, ut tradit Innocentius in cap. *Quod in dubiis.*

110. R. 3. Quod si resignans non apponat rigorosam conditionem, sed solum exprimat Prælati suum desiderium, ut servandum in provisione beneficii, & hoc verbis manifestetur, nempe, ut determinata personæ beneficium conferatur, non potest hoc licite fieri: quia S. Pius V. in motu proprio; *Quanta Ecclesia Dei* prohibet Episcopis, electoribus, & presentatoribus, ne conferant beneficia resignata illis, qui verbo, aut nutu fuerint a resignatoribus indicati, nec consanguineis, affinis, familiaribusve resignatoris. Unde optime Episcopus se geret in hoc, & similibus casibus, etiam ubi rigorosa intercedit conditio, acceptando absolute resignationem beneficii, & illud digniori conferendo. Sæpe ejusmodi resignationes sunt turpes nundinationes, quas Pius V. ibi ab Ecclesia Dei relegare satagit.

Tom. II.

111. Ex dictis sequitur. 1. Renuntiationes reciprocas, quibus tu v. g. renuntias in favorem amici Petri, ut is tibi renuntiet, esse simoniacas: quia ibi pactum intercedit, resignatioque in favorem tertii, quæ Episcopis est omnino prohibita. Sequitur. 2. Renuntiationem triangularem v. g. renuntias tuum beneficium Petro, Petrus Paulus, ut tandem Paulus suum tibi resignet, esse simoniacam propter eandem rationem. Etiam sunt simoniaci, qui a resignatariis exigunt, aut fidei jussorem sæcularem, aut hipotecam, aut anticipatam solutionem; ejusmodi enim pacta manifeste simoniaca sunt: quia obligant alium ad id, quod de jure non inest, eique onus pretio æstimabile imponunt.

## PUNCTUM V.

## De simonia confidentiali beneficiorum.

112. An resignatio beneficiorum confidentialis sit simoniaca? Pro resolutione supponendum est. 1. quod resignatio confidentialis beneficii illa dicitur, quæ fit in manibus Prælati legitimi cum fiducia, quod ille in cujus gratiam renuntiat beneficii, sibi, vel alteri resignabit idem beneficium, vel aliud, vel pensionem, aut quid aliud solvet. Idem est si patronus presentet clericum ad beneficium cum fiducia, quod aut sibi, aut suis idem beneficium resignabit, vel aliquid sit donaturus.

113. Supponendum est. 2. duobus modis posse collationem, aut resignationem beneficii in confidentia fieri. Primo, si per talem confidentiam ex pacto tacito, vel explicito novum aliquod debitum legale vel sit superaddere, ita ut resignatarius, vel resignanti, vel aliis teneatur ex debito rigoroso beneficium renuntiare, aut partem fructuum persolvere. Secundo modo, quando resignans absque aliquo pacto, vel obligatione civili, sed cum sola spe, & confidentia gratitudinis resignat beneficium in favorem illius, de quo sperat, quod ex sola gratitudine, & ex sua voluntate, vel sibi, vel cui voluerit, opportuno tempore resignabit; aut quod ex tali gratitudine, vel sibi, vel suis ex fructibus beneficii subveniet: non intendendo novam aliquam obligationem imponere, sed eam,

Ll

quæ

que ad beneficium collatum sequitur naturaliter, & que solum est antidotalis ad urbanam, & gratiam correspondentiam inducens. His præmissis:

114. R. 1. Quod resignatio fiduciaria cum pacto expresso, vel tacito est simoniaca jure naturali, divino, & humano vetita: quia illa civilis obligatio est pretio æstimabilis; ac proinde pro ea renuntiare beneficium est dare spirituale pro temporali, quod est simoniacum, & pluribus juribus prohibuitur, præcipue ex Pio IV. constitutione *Romanum Pontificem*. Et ex Pio V. constitutione *Intolerabilis*. quibus hæc, fiduciarias resignationes nullas, & irritas declararunt. Præfata constitutiones respiciunt personas resignantes, resignatarias, electores, collatores, præsentatores beneficiorum, istorum hoc modo vacantium. Actiones autem, quæ in his constitutionibus prohibentur, & resignationes, aut collationes, quæ ex *confidentia* dicuntur, sunt resignationes cum *accessu*, *regressu*, vel *ingressu* ad beneficium, & quæcumque receptiones beneficium, vel resignationes illius cum spe recipiendi fructus, vel partem, vel aliam pensionem.

115. Per *accessum*, *regressum*, vel *ingressum*, quæ his constitutionibus damnantur, & damnata erant a Tridentino sess. 25. cap. 7. intelligimus esse quasdam expectativas, seu confidentias, quibus significatur resignantem non omnino, & absolute beneficium dimittere, sed velle sibi retinere aliquid jus, ut aliquando possit repetere, & accipiens teneatur reddere. Petrus ob teneam ætatem, vel aliam causam est impeditus, confert beneficium Paulo sub confidentia, quod dimittet illud, quando Petrus fuerit capax, & vocatur *accessus*. Cedit beneficium alteri servato jure regrediendi ad illud, si pensionem non solverit, vel si moriatur, est *regressus*. Conferitur tibi beneficium, & ante possessionem alteri resignas, servato tibi jure in illud ingrediendi, si alter moriatur, fiat Episcopus, vel religiosus, dicitur *ingressus*. Ita ergo sunt omnes actiones confidentiales, quæ ut simoniacæ in dictis constitutionibus prohibentur.

116. Resp. 2. Quod si resignatio fiduciaria fiat secundo modo absque ullo pacto, & obligatione, licet periculosa sit, & ut plurimum in praxi simoniaca, abso-

lute tamen, & speculative fieri potest absque simonia. Quoad primam partem probatur: quia licet resignans ex sola gratitudine possit commodum aliquid temporale sperare ab eo, in cujus favorem beneficium resignavit, credit tamen difficile est, ut resignatarius ex sola liberalitate fructus beneficii, vel partem solvat: qua ratione periculosa omnino est ejusmodi resignatio. Quoad secundam partem probatur: quia hæc resignatio, absque ullo pacto est omnino voluntaria, & absoluta, ergo non est simoniaca. Præterea sperare exercitium virtutis gratitudinis, & amicitia absolute laudabile est, nec prohibitioni subjacet: quando autem hæc sincera spes reipsa detur, pendet ex confessione resignantium. Si autem intentio conferentis, vel resignantis beneficium esset corrupta, quia nimirum obligatione civili alterum obligare intenderet, & hæc intentio solum mansit in mente, erit simonia confidentialis, mentalis tamen, & sic nullis simoniæ pœnis subiecta.

117. Inq. 2. An in præfatis constitutionibus prohibeantur non solum resignationes fiduciariæ beneficiorum, sed etiam resignationes fiduciariæ in pensionibus, & permutationibus beneficiorum? R. affirm. Et ratio est, quod in dictis decretis prohibetur omne genus contractus confidentialis, quapropter ad omnem simoniam fiduciariam se extendunt.

118. Inq. 3. Quas pœnas incurrant, qui simoniam confidentialem committunt? R. Quod præter communes pœnas omnibus simoniacis assignatas pro hac confidentiali speciales assignantur a Pio IV. & S. Pio V. in supradictis bullis. 1. Ut Cardinales, Episcopi, & alii Prælati, qui hanc simoniam fiduciariam committunt, sicut interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & si ingrediuntur, sunt irregulares. 2. Quod inferiores hac simonia inquinati, sunt ipso facto excommunicati excommunicatione summo Pontifici reservata. 3. Quod collatio, & resignatio beneficii taliter facta est nulla, & sic tenetur illud resignare, qui sic accepit, & omnes fructus talis beneficii restituere. Tribus his pœnis ante iudicis sententiam subjacent ejusmodi simoniaci, & hoc etiam si non sit completa simonia, dummodo acceperit beneficium in confidentiam, licet alter non impleve-

rit,

rit, quod promisit. Hoc beneficium est reservatum sedi apostolicæ, & ejus camere consignantur fructus illius jam recepti. 4. Pœna est privatio beneficiorum, quæ rite obtinebantur ante talem simoniam, & sunt ad illa inepti, sed non incurritur hæc pœna, nisi post sententiam.

## PUNCTUM VI.

## De pœnis in jure assignatis contra simoniacos.

119. Supponendum est 1. pro simonia pure mentali in quacumque materia nullam esse pœnam, nec aliquam obligationem dimittendi beneficium, sed per solam penitentiam suo satisfacere Creatori: Ut dicitur in cap. *Mandato*, de simonia: quia sicut Ecclesia de pure internis nequit iudicare, ita neque illa punire, ut inquit D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. Quod tenet etiam si simonia mentalis exeat in opus externum non manifestativum illius: ut dum familiaris inservit Episcopo ex intentione, ut propter obsequia ab eo recipiat beneficia. Quia iste solum quoad Deum est simoniacus, non quoad pœnam. D. Thomas ibi:

120. Supponendum est. 2. nullas pœnas in jure latas ipso facto incurendas reperiri pro simoniaci, præter quam in tribus casibus, nempe ob simoniam commissam in ingressu religionis, in receptione ordinum, & in beneficiis. Est commune Doctorum: sed sunt pœnæ ferendæ aliæ quæ in jure assignatæ pro aliis simoniaci, nempe infamiae, reclusionis, depositionis ab officio, & beneficio, quod ab altari repellantur, ab Ecclesia eliminantur, & aliæ similes, quæ diversis juribus assignantur. Quibus suppositis.

121. Inq. 1. Quas pœnas incurunt simoniaci ob ingressum in religionem? R. Quod dantes, vel recipientes aliquid pro ingressu religionis ipso facto singulares personæ excommunicantur excommunicatione Papæ reservata. Extravagant. cap. 1. de simonia: in eadem extravaganti imponitur pœna suspensionis conventui, seu capitulo, qui actu capitulari aliquid daret, aut reciperet pro ingressu; similiter si aliquis ad professionem fuerit simoniace receptus, licet ejus professio sit va-

lida, tam recipiens, quam receptus de monasterio expellendus est sine spe restitutionis, & in loco arctioris regulæ ad perpetuam penitentiam detrudendus. Insuper tales simoniaci sunt infames, quando talis simonia est notoria, aut juridice declarata, & consequenter sunt irregulares irregularitate ex infamia orta.

122. Inq. 2. Quæ pœnæ impositæ sunt recipientibus simoniacæ sacros ordines? R. Qui simoniacæ aliquem ordinat, aut ad conferendum ordinem mediator est, eo ipso est excommunicatus excommunicatione Papæ reservata, quæcumque fulgeat dignitate, etiam cardinalia. Extravag. 2. *Cum detestabile de simonia*: Non extenditur ad primam tonsuræ, cum verus ordo non sit. Deinde simoniacus ordinator ipso jure a collatione quorumcumque ordinum, etiam primæ tonsuræ, & executione omnium pontificalium suspenditur per Sixtum V. in Bulla *Sanctum*, & *salutare*. Denique interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, & punitur suspensione a regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione omnium fructuum suorum beneficiorum, si interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem dictam a pontificali munere violaverit.

123. Ordinati vero simoniacæ sunt ipso facto excommunicati excommunicatione reservata Pontifici. Extravag. *Detestabilem*. Ubi etiam suspenditur ab executione omnium ordinum, etiam eorum, qui legitime suscepti fuerunt. Quam suspensionem incurrit, qui facti inscius, alterius ope simoniacæ ordinatus est. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 6. Quia, inquit, nullus potest licite retinere, id quod contra voluntatem Domini acquisivit. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores, & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur. Ab his autem pœnis solus Pontifex dispensare valet, ut subdit ad 7. idem D. Thomas. Qui ordines suscipit sub titulo patrimonii ficti, suspenditur ab executione Subdiaconatus recepti, & interdicitur ad alios ordines provehendus. Cap. *Per tuas nobis*. Ex Trid. Sess. 21. de reform. cap. 2. Ex Pio V. Bulla *Romanus Pontifex*.

124. Inq. 3. Quas pœnas incurunt conferentes, & obtinentes simoniacæ beneficia? Resp. Conferens, aut procurans si-

moniaci alteri beneficium, vel officium ecclesiasticum per electionem, postulationem, confirmationem, nominationem, sive publicam, sive secreto ipso facto excommunicationi subjacet Pontifici reservate: & idem est de recipiente, mediatoribus, parentibus, amicis, & omnibus illis, qui adjuvant, & procurant, ut beneficium simoniace detur. *Extrav. detestabile.* Deinde irritantur, & annullantur omnes provisiones, & collationes taliter factæ, ut nullum jus per eas acquiratur: Unde recipiens simoniace beneficium fructus suos non facit, sed eos tenetur restituere, & beneficium statim dimittere ante omnem iudicis sententiam. Etiam si simonia, inscio beneficiario, commissa a parentibus, aliisve amicis fuerit, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.

125. Has pœnas incurrit, qui simoniace recipit beneficium, etiam si simonia non ab ipso, sed ab alio tertio commissa sit, ipso tamen sciente, & non contradicente: Cap. *Nobis fuit 27.* Ubi additur, quod si sciens contradicat, valida est collatio beneficii in eo facta. Si tamen eo ignorante, & non contradicente, quia nullam habuit suspensionem simoniæ, ab alio tertio committatur, præter excommunicationem cæteris pœnis subjacet, quamvis fructus, quos bona fide consumpsit, restituere non teneatur. D. Th. q. 100. art. 6. ad 3. Si vero is, qui inscienter beneficium simoniace recepit, triennali possessione bona fide illud tenuit, non potest eodem privari: quia bona fide, & colorato titulo possedit. Ei vero, qui mala fide possedit, non suffragatur triennalis possessio.

## PUNCTUM VII.

*Alia dubia de eorum materia.*

126. Inq. 1. An simonia in beneficiis non solum ipso facto privet illo, quod simoniace obtentum est, sed etiam aliis omnibus antea rite obtentis? R. Ante sententiam iudicis condemnatoriam nec beneficiis antea rite obtentis, nec fructibus illorum ipso jure privari: quia nullum jus datur hanc pœnam expresse ipso facto designans. Potest tamen iudex etiam illa adimere simoniaco pro criminis gravitate. Excipitur tamen simonia fiduciaria, in

qua post sententiam declarativam criminis privatur simoniaco omnibus beneficiis antea obtentis. Et etiam simonia commissa ab examinatore beneficiarum in Synodo constitutis, seu electis, qui, si aliquid occasione examinis recipiant, privantur ipso facto beneficiis antea rite obtentis, & tenentur illa dimittere etiam ante iudicis sententiam, ut expresse habetur in Trid. Sess. 24. c. 18. de reform. Tandem qui beneficia per simoniam assequuntur, inhabiles remanent ipso facto ad alia beneficia obtinenda ante iudicis sententiam. Ut S. Pius V. expresse declaravit in sua constitutione *Cum primum.*

127. Inq. 2. An acquisita per simoniam restitui debeant? R. 1. Omnia beneficia simoniace accepta, & eorumdem fructus restituendos esse ante iudicis sententiam constat ex dictis. R. 2. Simoniaci in receptione ordinis, beneficii, & religionis, simonia reali, tenentur ad restitutionem ante sententiam iudicis. Habetur expresse in cap. *De hoc, de simonia.* R. 3. Pecuniam simoniace acceptam ob venditionem aliarum rerum spirituum restituendam esse. R. 4. Pretium simoniace acceptum in collatione beneficii, ordinis, & ingressu religionis debere restitui Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel cui injuria propter simoniam irrogata est. Sic D. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. Idem dicendum de fructibus beneficii simoniace obtenti. *Cap. De hoc cap. Audivimus, de simonia.*

128. Inq. 3. Quis possit in supradictis pœnis dispensare? R. Suspendio ordinis simoniace recepti solum a Pontifice dispensari valet: quia illi reservatur *cap. penult. de simonia.* Idem dicendum de suspensione aliorum ordinum, quos jam legitime receperat, si scienter simonia commissa est; si vero ignoranter, dispensari ab Episcopo valet, sive publicum sit delictum, sive occultum. *Ex cap. Tuæ.* Idem tene de suspensione incurta ab ordinantibus simoniace, vel mediatoribus, & de illa, quam incurrit conventus, vel capitulum propter simoniacam receptionem religiosi, quæ omnes modo dicto Pontifici sunt reservatæ.

129. Ab excommunicatione item incurta ob simoniam in ordine, beneficio, aut religione solus Pontifex absolvere potest, quia illi est reservata. Per Bullam

CRU-

cruciatam absolvere valet semel in vita, & semel in morte quilibet confessor, sicut ab aliis censuris reservatis. Imo ab omnibus his censuris, si publice non sint, nec ad forum contentiosum deductæ, potest Episcopus absolvere juxta Trid. Sess. 24. cap. 6. de reform.

130. Inhabilitas, ad obtinendum beneficium simoniace acceptum solum potest a Pontifice tolli, nisi tribus conditionibus concurrentibus. 1. Quod simonia, beneficiario ignorante, & ratam non habente sit commissa. 2. Quod beneficium sit simplex,

non dignitas, aut curatus. 3. Quod, cognita simonia, sponte beneficium renuntiet: his adstantibus circumstantiis ab Episcopo valet ejusmodi inhabilitas auferri. *Ex cap. pen. de electionib.* Similiter inhabilitas ad alia beneficia, quia nullibi reservatur: nisi simoniaco sententiam expectet: quia damnatus de crimine simoniæ est infamis infamia juris, & ideo irregularis, & non potest Episcopus dispensare cum irregulari ex infamia juris, nisi in casibus in jure expressis: ut notatur in cap. *In te, de sent. & re judicata.*

## TRACTATUS TRIGESIMUS QUARTUS

## DE MATRIMONIO.

Accedimus ad ultimum novæ legis sacramentum; licet enim matrimonium absolute consideratum omnia sacramenta etiam veteris legis præcedat tempore, utpotè inter Adam, & Evam celebratum in statu innocentie: tamen omnibus credit excellentia, & dignitate. Ideoque post cætera de illo nobis agendum est in præsentii ductu D. Thom. in *supplem.* 4. 41.

## CAPUT I.

*De sponsalibus.*

CUM sponsalia sint quasi præambula matrimonii, illorum naturam, ac effectus, seu obligationes oportet ante ipsum prælibare.

## PUNCTUM I.

*Nomen, essentia, & effectus sponsalium.*

1. Inq. 1. Quot modis accipi possint sponsalia? R. Posse accipi quinque modis, 1. Pro muneribus, seu artibus, quæ sponsus ad sponsam, vel invicem uterque mittit, & tradit. 2. Pro dote a sponsa genitoribus, vel ab aliis sponso data. 3. Pro donis futuri conjugii ab aliquibus utriusque sponso collatis. 4. Pro matrimonio de præsentii, non consummato: qua ratione Beatiss. Virgo pulchre dicitur sponsa sacrissimi Jo-

seph. 5. Propriissime pro sponsione futuri matrimonii, sumpta ethimologia a verbo *spondeo*, quod promittere significat.

2. Inq. 2. Quid sint sponsalia? R. Sunt *mutua, libera, ac deliberata promissio futuri matrimonii aliquo signo sensibili expressa inter personas jure habiles.* Dicitur *promissio*, quia simplex intentio, desiderium, aut propositum, etiam exterius expressum non sufficit. *Mutua*, quæ a juristis dicitur *repromissio*. Si enim unus promittat, altero non repromittente, non ad sunt sponsalia. *Libera*, quia sponsalia metu gravi contracta nulla sunt. *Deliberata*, quia requiritur plena deliberatio, sicut ad alios contractus celebrandos. *Futuri matrimonii*, per quod sponsalia ab actuali matrimonio secernuntur. *Aliquo signo sensibili expressa*; est enim contractus humanus, qui per actus interiores nequit perfici. Unde esto promittens per lumen interiorius agnosceret alterius repromissionem mere internam, non adesset sponsalia in ratione contractus humani, nec ut talia inducerent obligationem. Denique additur: *inter personas jure habiles*; alias nequeunt valida esse sponsalia. D. Thom. *ibi. q. 43. a. 1.*

3. Inq. 3. An, si sponsus, vel sponsa rem habeat cum alia persona, sit copula adulterina? R. neg. Quia adulterium solum adest, quando violatur alienum thorum, quod non verificatur de sponsis. Unde filii ex tali copula habiti sunt quidem illegitimi, & naturales, non vero adulterini,